

## De Congregatione Visitationis Carceratorum.

## S V M M A R I V M.

- 1 **D**e visitatione generali, quæ gratiosa dicitur carcerum quando fiat.
- 2 Qui nam interueniant in visitatione carcerum Gubernatoris.
- 3 Et qui in illa Carcerum Capitolij.
- 4 Quid agatur in hac visitatione quoad carceratos criminales.
- 5 De charitate erga debitores carceratos, & de eiusdem charitatis abusu.
- 6 De visitatione ordinaria, & continua in qualibet hebdomada.
- 7 De inconuenientibus, quæ resultant in popularibus ob securitatem, quæ illis datur à priuata punitioe.
- 8 Quod expediret punire in corpore aliquos debitores decoctos, & aliquando etiã aliquos creditores fraudulentos.
- 9 De alimentis quæ per creditorẽ præstanda sunt debitori carcerato.
- 10 Quid in Hebreis.
- 11 De alijs ad materiam pertinentibus remissiuè.

## DISC. XXIX.

**I**n anno, imminetibus solemnitatibus, Natiuitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, habetur visitatio generalis, quæ gratiosa dicitur, illorũ carcerum magis generalium, quæ esse solent communes omnibus Tribunalibus, sed pro maiori contingetia dicuntur Gubernatoris, ac priusquam fieret transportatio ad locum, in quo nunc extant in via Iulia, conspicuo ædificio constructo de mandato Innocentij X., dicebantur Turris nonæ, sub cuius vocabulo apud antiquiores Criminalistas, vel practicos eorum mentio habetur; Ac etiam aliorum carcerum existentium in Capitolio; Atque in istis Congregationibus generalibus gratiosis; Quatenus pertinet ad dictos carceres magis communes, & generales Gubernatoris, in quibus deti-

neri solent illi, quĩ pro causis criminalibus, vel ciuilibus carcerantur de mandato Auditoris Camerae, aliorumque Iudicum, & Tribunalium, interueniunt, istã Congregationem constituentes; Gubernator Urbis; Auditor Camerae; Præses Carcerum, qui est vnus ex Clericis Camerae iuxta distinctionem officiorum, quæ præfato Tribunali Camerae incumbunt, vt inferius de ipso agendo aduertitur A; Necnon Aduocatus fisci, & Procurator generalis fiscalis; Duo ex Locumtenentibus criminalibus Gubernatoris, Locumtenens Criminalis Auditoris Camerae; Aduocatus pauperum; Et duo Procuratores pauperum, vnus scilicet deputatus à Papa, & alter à Congregatione Charitatis; Visitator Carcerum secretorum; Commissarius remigum; Locumtenens criminalis Vicarij; Ac etiam interueniunt duo Prælati, qui sunt Præfecti duarum piarum Congregationum quæ vacanti huic pro operi protectionis, ac subuentionis, & liberationis carceratorum, Congregationis scilicet, quæ dicitur charitatis; Et alterius, quæ dicitur Pietatis carceratorum; Cumque munus Procuratoris pauperum cum eximia charitate pluriũ annorum spatio exercuisset Scannarola; Auctor operis, cuius titulus est de visitatione carceratorum, isque ad Episcopatum Sydoniensem in partibus, aliaque maiora curiæ munia promotus fuisset; Adhuc tamen, ex nimia charitate eo id esflagitante, donec vixit, ex Pontificis mandato, in his Congregationibus, quinimò in visitatione currenti, seu ordinaria cuiuslibet hebdomadæ interueniebat, atque in dicto munere Procuratoris pauperum, deputari curauit eius alumnum Zuffum auctorem operis de legitimat. process. qui sui magistri in charitate, & diligentia, imitator fuit.

In visitatione autem carcerum Capitolij, interueniunt plures ex prædictis personis, quæ sedentes ab vno latere, vultũ corpus seu vnã classẽ constituunt, nempe; Præses carcerum; Dicti duo Prælati Charitatis, & Pietatis; Aduocatus pauperum; Aduocatus fisci; Procurator fiscalis generalis; Et dicti duo Procuratores pauperum; Non interuenit autem A. C. ob

ob questionem precedentiae cum Senatore, siue ex alia causa, bene tamen interuenit eius Auditor; Ab altero vero late sedent personae constituentes ipsum forum Capitolinum, seu representantes Populum, nempe; Senator Urbis; Tres Conferuatores; Duo Collaterales; Iudex criminalis; Procurator fiscalis Capitolij; Et praefati Commissarij carcerum, & remigum; Omnibus vero in capite praestit Gubernator Urbis in figura potius Vicecamerarij. B

In his visitationibus generalibus gratiosiss, aliqui carcerati criminales, quibus non obstat Pars offensa, pro delictis non grauibus & exceptis, solent relaxari seu liberari Ciuilibus autem aliqua maiores sunt habilitates, quae ut infra, in visitatione ordinaria & currenti fieri solent; Notabilis vero liberatio sequitur, ob eximiam charitatem, quam respectiue adhibent dictae pia Confraternitates, concordando creditores, eisque de proprio soluendo debitum usque ad limites certae summæ; Istaque charitas ex aliis insinuata propositione, quod in hoc Mundo, non datur bonum sine corruptione, ansam praebet fraudibus, & occultis furtis, quae pro meo sensu seuerè puniri deberent, quod scilicet aliqui perditii homines, collusiue se fingunt debitores, & creditores respectiue, atque circa tempora huic visitationi proxima, affectatur carceratio, ut ita ea pecunia extorqueatur; Et quauis plures adhibita sint, prudentes ac salutare prouisiones, exactaeque fiant diligentiae per pios sodales, ut huiusmodi fraudibus occurratur, non tamen omnibus, ac omnino occurrere potest pro humanae conditionis qualitate; Atque respectu carceratorum criminalium, si sunt iam condemnati ad triremes, fit transmissio, & consignantur praefato Commissario remigum; Et quoad alios, demandatur Iudicibus expeditio; Siue in eadem Congregatione deciduntur illa incidentia, quae eandem expeditionem impediabant, aliaque oportunae sunt prouisiones, cum nimia vigilantia, ut carceratorum oppressionibus ac iniustitijs vel fraudibus occurratur.

6 Ultra istas visitationes generales; Adest alia visitatio continua in qualibet hebdomada, quae in die Iouis de mane, vel in casu impedimenti, post prandium fit per Gubernatorem, & per Praesidem carcerum, & alios ex praemissis defensoribus; Istaque visitatio ordinaria, magis priuata, prodest quidem respectu carceratorum criminalium, qui vel ob causas non adeo graues, vel quia processus sint iam compilati, detineantur publice cum alijs ut vulgò dicitur *alla larga* pro eorum expeditione; Atque plures tunc summarie expediuntur cum exilio ab Vrbe, vel respectiue à Statu Ecclesiastico intra certum horarum, vel dierum terminum, aliaue impedimenta tolluntur, quae expeditionem impediunt; Quoverò ad illos carceratos pro causis grauioribus, qui adhuc detineantur in secreta, eorum visitatio fit semel in mense.

7 Maior vero occupatio, seu visitationis effectus consistit in carceratis pro debitis, quoniam, cum (ut praemissum est) non detur bonum sine aliqua parte mali, ob vigilantiam Papae, eiusque officialium, super exacta administratione iustitiae, à maximo ad minimum, adeo ut non detur facultas potentibus, sibi ipsis iudicandi cum priuata auctoritate, cum minus potentibus, vnde propterea in eodem carino comedunt, vel bibunt agnus & lupo, producit malum petulantiae, & fraudum, quae committuntur per plebeos, aliosque perfidos homines, qui habentes genium ad furta & ad rapinas, ut cum eis vitiosam ac turpem vitam ducere valeant, territi tamè à rigorosa iustitia, ita student truffis, contrahendo debita, ad quorum solutionem se agnoscunt non idoneos; Ideoque, ut alijs aduertitur, pro meo sensu, seu verius iuxta illud iuris, & praesertim Constitutionis B. Pij V. contra decoctores, pro bono Reipublicae gubernio, opportunum esset quandoque, ad aliorum terrorem, aliquos ex his debitoribus pro maiestatis qualitate praesertim recidiuos, furcis vel triremibus tradere; Et quandoque etiam idem praticari cum illis creditoribus, qui cum stocchis, & ciuantijs à filijs familias & inexpertis, vel prodigae naturae ado-

B. hunc ordinem visitationis vtriusque generis carcerum describit Scannarola de visit. carcer. pag. 78.

adolescentibus magnas extorquent obligationes; Eis etiam coniungendo aliquos ex illis Notarijs, & proxenetis, qui sint huiusmodi implicitorum furtorum mediatores, & operarij.

9 Confouet quoque huiusmodi truffas & fraudes, nimium benigna Romanae Curiae praxis, pietati quidem, ac etiam iuris intentioni innixa, non tamen adeo defacili, ac generaliter praticanda, ut potè aliquorum malorum productiua, super suppeditatione scilicet alimentorum faciendae per creditores carceratis debitoribus, qui propterea libenter, eam hilarem vitam cum alijs eiusdem genij socijs, ibi creditorum expensis ducunt, atque semel liberati, student alia debita contrahere, ut idem sequatur, vnde propterea creditores duplex sentiunt damnum, duplicemque iacturam; Et per consequens quando agatur de debitis, in quibus creditor in bona fide sit, & excusabilis cum huiusmodi debitoribus, quos aliqua inperata infortunia non excusant, sanctius esset praticare aliquarum nationum antiquos rigores, qui apud historicos leguntur, siue iuris communis axioma, quod qui non habet in aere, luat in corpore.

10 Cumque eadem Curiae benignitas, ex eo proueniens quod à Praelatis & viris ecclesiasticis constituta sit, determinauerit, ut eadem alimentorum obligatio Christianis creditoribus incumberet erga debitores habereos, quasi quod isti dicantur ciues, & de populo, atque potiri debeant priuilegijs, ac fauoribus per leges vel stylos inductis, quamuis aequitatis motiui habeant C; Atque Urbanus VIII. id incongruum reputaret, ideoque ipsorum Haebreorum Vniuersitatem ad hoc onus obligauerit D; Hinc proinde sunt frequentes fraudes, & collusiones, ob quas Christiani creditores potius seuerè puniri deberent, quoniam praesertim fundacarij mercatores, illis haebreis, quos sciunt pauperes ac minus idoneos, pro alterato pretio, credunt merces à vetustate vel à tineis attritas, sub hac spe, quod Vniuersitas ne alimentorum sumptum patiat, quandoque magis expedire putat debitum soluere, vel alijs cum creditore concordare.

Frequentes autem oriri solent contro-  
uersae iurisdictionales; Vel principaliter  
11 pro maiori competentia fori; Vel incidenter pro validitate actorum, & praesertim executionum, & subastationum; inter dictum Praesidem carcerum, & Iudices ordinarios, à quibus relaxata fuerint mandata, quorum vigore carceratio sequuta sit, aliaque incidentia resultant, super quibus, magis verò, ac potissimum pro causis criminalibus, de quibus meum non est agere, ut potè extra propriam sphaeram, amplum addidit volumensupra enunciatum Scannarola, cui titulus est de visitatione carceratorum, ubi de plerisque videri poterit, ad hanc materiam visitationis carcerum spectantibus, & de quibus raro qualificatis Aduocatis in Curia agere occasio suppetit, cum sint negotia Curialium sphaerae minoris ac diuersae.



### De Tribunali Signaturae Papae, quae Gratiae dicitur.

#### S V M M A R I V M.

- 1 DE antiquo statu Signaturae.
  - 2 Quot, & quales erant Reseruarij.
  - 3 De antiquis eorum prerogatiuis.
  - 4 Quod esset munus lucrosum.
  - 5 Quid contineat Signatura gratiae.
  - 6 Quando fiat, & cum quorum Cardinalium interuentu, & quomodo.
  - 7 Qui nam Praelati, & officiales interueniant.
  - 8 Quomodo commissiones proponantur.
  - 9 Quomodo votentur, & quando.
- P. 2. Relat. R To An,

C. tit. de seruit. disc. 70.  
D. tit. de usur. disc. 6.